



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

III. Ad lucrandum Jubilæum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

EXHORTATIUNCULA. III.

Pro Gratioſo tempore Clementiſſimi
Jubilæi.

I.

Bona nova! O fili ſpiritualis! Bona nova! O nobilis! Chara anima! En! Magna vobis offertur deſurſum gratia, quia lucranda peccatorum omnium indulgentia. Hâc è ſclerum exuimur ſordibus; hac à ſervitute diaboli redimimur. Ut acceptemus, invitat nos Chriſtus: *Venite!* Clamat Eccleſia: *Currite!* Allicit vita æterna: *Et ego reficiam vos.* Quid delibera-
mus?

Inſtruçtio meritoria.

Gratiarum actio eſt novarum impetratio. Adeamus proin thronum gratiæ, videlicet Eccleſiam, & tria nobis ſeligentes altaria, ter viſitemus in honorem ætatis Chriſti JEſu quàm devotiſſimè recitandò 34. *Pater & Ave* cum Vers. *Te ergo quaſumus, tuis famuli ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.* Quot anni JEſu, tot aperti in nos Divinæ Bonitatis theſauri.

II.

EN! Tempus acceptabile! Ecce! Dies ſalutis!
O quanta ſunt coram Deo debita noſtra! O quis ſuppliciorum numerus, quem toties peccandò, tot annos tam infructuoſè impendendò: dona Dei, & naturæ perdendò atque negligendò auximus. Heu! Jam imminet iræ Divinæ gladius! Jam ardet ignis! Flamma iſtat! Fugiamus,

mus, ô chare! De medio Babylonis, de medio confusionis! Curramus ad pœnitentiam! Impe-
trabimus Dei misericordiam.

Instructio meritoria.

Pro condigna ad lucrandum Jubilæum præpa-
ratione solitariè vivamus, per recollectionem
internam à mundo nos abstrahamus, & cum
magno spiritu psallamus coram quodam Crucifi-
xo: *Confiteantur Domino misericordia ejus, &
mirabilia ejus filiis hominum.* Psal. 106. Peten-
tibus iusta nihil hodie negetur! Date, & com-
pensabitur cum scœnore!

III.

SCit fili! quis ipsum invitet ad sinum gratiæ?
Dicat dubitanti Divus Gregorius: *Ecce ip-
se, quem despeximus, vocat nos.* Ecce JESUS
pandit brachia, ut ibi te abscondas pro indul-
gentia. Pandit, etiam non rogatus. Offert,
ut toties offensus. JESUS te amicum vult, ami-
citiâ tuam rogat, & suam à te acceptari postu-
lat. O excessum Divinæ Clementiæ! Quis-
nam hominum offensus, & tam misericors, tam
amicus in offendentem? Adorares, si invenires.
JESUS is fuit! Gaude! Adhare! Sequere!

Instructio meritoria.

Amor provocat amorem, ut ignis ignem.
Peccatum sat est! Donemus hodie JESU illam
occasionem, quâ frequenter nos cecidisse, ad-
vertimus. Amor Dei jubet: Caveamus, ne
adeamus. Etiam unicum seriò cavisse peccatum,
signum magni amoris est. Fuga unius pariet

horrorem alterius; horrore autem peccatorum quid sanctius? Ut in eo crescamus, *psalmos pœnitentiales* offeramus. Plangamus præterita, ut non committamus amplius plangenda. Ecce misericordiæ Domini! Misericordiæ Domini! Quia non sumus consumpti.

EXHORTATIUNCULA IV.

Pro Ingredientibus sacram Religionem.

I.

UNde? Dilecte mi! Siccine à sæculo ad Christum? Laudo sanctum, & firmum propositum. At non sufficit, mundum reliquisse corpore; huic & animò atque affectibûs moriamur, necesse est. Si in sæculo fuimus superbi: vivamus jam humiles religiosi, si iracundi, & impatientes: jam simus mansueti, & fortes; si temporalibus addicti: nunc Deo, & cœlestibus immerfi. Et hæc est vera Conversio sui. **J**ESUM quærimus? Ergo quæ **J**ESU non sunt, abjiciamus.

Instructio meritoria.

Pro singulari gratia vocationis, & hujus constantia dicamus officium minus de SSS. Trinitate cum Psalmo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Additò hoc perenni amoris, & recognitionis pacto: manè, & noctu quotidie duodecies exosculandi terram sub dicto: *Domine! Quid est homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

II. Fi-